

nisi primo quoque tempore ex Italia ac reliqua Europa nova
 mittantur auxilia, non multo post, sublato ex Asia non tan-
 tum regno, sed Christiano etiam nomine, omnia in Turco-
 rum potestatem essent concessura. Calistus magnitudine pe-
 riculi motus, continuo Italiae vires circumspicere cœpit: con-
 stituitque Venetos solos esse, qui in Syria Christianorum opes
 eo temporum statu retinere possent. Per legatos itaque Do-
 minicum Ducem precatus est, ut confessim potentissima clas-
 se instructa, ad Christianam rem tuendam in Asiam transmis-
 teret. Tum populo ad concionem vocato, divinis rebus rite
 procuratis, iussu Principis ita Antistitem urbis ad populum
 locutum ferunt: *Quæ in Asia superioribus annis pro Pa-
 lestina terræ recuperatione, quam vos Tellurem sanctam vo-
 catis, partim nostris, partim cæterarum Europæ gentium
 auspiciis gesta sint, puto vos, viri Veneti, non ignorare.
 Nam sextus, ni fallor, ab illo & vicesimus nunc annus
 agitur, quo ingens illa Christianorum manus in Asiam
 transmisit: ubi Dei benignitate, suaque virtute, quicquid
 terrarum est a Bitinia in Syriam, brevi id totum ex im-
 manissimo hoste armis receperere. Nec interim & in Ionia,
 Smyrna capta, & circa maritimæ Syriæ oram, pauca a
 nostris gesta dicuntur, ubi non tantum gloriam ingentem
 consecuti sumus, sed in partem etiam receptarum urbium
 admissi. Quod si recte omnia animo consideratis, certissima
 quedam fundamenta Veneti imperii in Syriam promoven-
 di præclara illa expeditione jacta videri possunt. Verum in-
 tra paucos annos accidit, ut Gothifredi, Baldoini, Boe-
 mundi, & aliorum illustrum ducum morte, qui fatali ne-
 cessitate ex humanis concessere, ita res nostræ in Syria mu-
 tatae sint, ut non modo non sint in eo fœlici, in quo fue-
 rant, cursu: sed retro, ut ajunt, labentes, atque in dies
 tenuiores factæ, magisque ac magis hostium injuriæ obno-
 xiæ, modicam spem ipsius provinciæ retinendæ nobis reliquer-
 int. Id metuens Baldoinus secundus, ad nos non multo an-
 te legatos misit, qui supplices magnaue præmia pollicentes
 rogarent, ut confessim classem expediremus numerosissimam,
 atque ubi primum fieri posset, in Asiam transmitteremus.*

*Antistitis
 Veneti iussu
 Principis
 ad populum
 Venetum
 babita ora-
 tio bortato-
 ria ad in-
 fruendum
 classem in
 Syriam.*

*unum in
 hodiernum
 anni CCC
*

1111